

Kern 251
(1-12)







(4)

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
ROBORANTIVM DIFFERENTIIS
IN PRAXI BENE ATTENDENDIS

QVAM
INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. H.T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. II. NOVEMB. ANNI MDCCLXVIII.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

IOANNES DIETERICVS OPPEN

MAGDEBVR'GICVS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.



DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

ROBORANTIVM DIFFERENTIIS

IN PRIMA BENE ALIQUOTIS

GRATIOSI MEDICINAE ORDINIS

D. ANDREAE J. B. SCHNEIDERI

PRO GRADU DOCTORIS

IOHANNIS B. SCHNEIDERI

1788



V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMOQVE

DOMINO

IOANNI GEORGIO
LESSE R

AVGVSTISSIMI PRVSSIAE REGIS CONSILIARIO
AVLICO ET ARCHIATRO, METROPOLIS REGIAE ET
CIRCVLI BARNIMENSIS INFERIORIS PHYSICO ORDINARIO
COLLEGII MEDICI SVPERIORIS

NEC NON

COLLEGII QVOD SANITATIS PVBLICAE CVRAM
HABET MEMBRO GRAVISSIMO,

PATRONO SVMMA PIETATE
COLENDO,



HANC

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

QVALECVNQVE ACADEMICORVM STVDIORVM SVORVM SPECIMEN,

IUNCTIS

OMNIGENAE PERENNISQVE PROSPERITATIS

VOTIS DEVOTISSIMIS,

EA QVA DECET

VENERATIONE ATQVE OBSERVANTIA

DAT, DICAT, DEDICAT

AUCTOR.





§. I.

Robur corporis humani generatim consideratur.



Corpus humanum, iniuriis externis internisque expositum, atque edendis innumeris actionibus a sapientissimo Creatore destinatum, illis resistere, has perficere debet. Atque in tantum ipsi *robur* generatim tribuere solemus. Sicuti enim omnium quorumcunque corporum agendi vis ex gradu, quo agunt quoque resistentiis contranitur, aestimatur: ita humani quoque corporis robur ex actionum, quas edit, magnitudine exque gradu, quo iniuriis, quae laesionem inferre possunt, resistit, diiudicatur. Cum vero nulla actio, nulla resistentia sine vi cogitari queat: patet, robur corporis humani, si generatim spectetur, gradum denotare, quo vires corporis agunt et resistunt, idque ea quidem ratione, ut robur corporis nostri tanto maius statuatur, quo plures, maiores et diuturniores actiones a viribus illius profiscuntur, quoque plures et maiores resistentiae atque iniuriae earum auxilio superantur, tanto autem minus assumatur, quo minushaec obtinere obseruantur. Sic qui motum corporis, aëris iniurias etc. diu ferre possunt, robusti nominantur, qui vero male hin-

afficiuntur, minus robustis accensentur. Licet autem notio, quam stabiliuimus, roboris, vsui loquendi apprime respondeat; tamen, in comparandis, quoad robur, subiectis, inque determinando simul morbofo aut naturali roboris defectu, duo simul attendi debent, quae, quando de robore, generatim tantum considerato, incidit fermo, curare non adeo opus est. *Primo* namque perpendatur necesse est, vires corporis humani non esse infinitas, suis potius, sed arctis, limitibus circumscriptas. Cauendum itaque, ne huic illiue subiecto verum corporis robur denegetur, quando obseruamus tantum, non posse illud omnibus et nimis magnis iniuriis et resistentiis sufficienter contraniti, easdemque superare. *Dein* considerari in eo casu debet, naturam hominum, bene etiam constitutam, mire, quoad robur, differre, ita, vt duo corpora vera robusta dici queant, licet robur, in quantum absolute spectatur, in vno maius, in altero longe sit minus. Ita infantile quoddam corpus robustum dici potest, quamuis, robore absolute considerato, longe minus robustum sit, quam corpus adulti. Ex quibus ergo consequitur, quare verum corporis humani robur a Medicis determinetur ex magnitudine actionum, quas edit, et resistentiarum, quas superat, habito simul ad naturam tam humanam generatim, quam cuiuslibet subiecti, cuius robur consideramus, respectu.

§. II.

Debilitas eiusque species.

Corpori robusto debile, robori *debilitas* opponitur. Cum corpori humano non ideo debeat robur denegari, quod omnibus actionibus perficiendis et resistentiis atque iniuriis ferendis impar esse obseruatur (§. anteced.): intelligitur, nec posse quoque ipsi debilitatem eatenus assignari. Quare tunc demum corpori tribui debet, quando obseruamus, non posse illud eas actiones, resistentias et iniurias producere aut superare, quae alias a corpore humano producuntur aut superantur. Erit itaque generatim conditio corporis interna,

terna, qua illud minores actiones et resistentias exferit, quam alias a corpore quodam humano perfici possunt. Cum vero eiusmodi debilitas naturae subiecti cuiusdam respondere possit (§. I.): ratio patet diuisionis, qua debilitas in naturalem et praeternaturalem abit. *Naturalis* dicitur debilitas, quando quidem robur cuiusdam corporis et subiecti robore alius corporis humani minus est, ad illas tamen actiones producendas sufficit, quas sanitatis istiusmodi indiuidui conditiones postulant. Hinc infantibus, subiectis sexus sequioris, fanguineis, etc. debilitas tribuitur naturalis. Debilitas contra ea *praeternaturalis* gradum sibi vindicat roboris, non solum robore aliorum hominum, sed eo etiam minorem, qui ad actiones, in statu sanitatis necessarias, recte subeundas insufficiens est. Recte quoque debilitas in *absolutam* et *respectiuam* dispefcitur. *Illa* in vero virium decremento consistit; *haec* ex resistentiarum magnitudine enascitur (§. anteced.). Sic debilitas, de qua plethoricus conqueritur, respectiua est, laxitas vero absolutam debilitatem ponit. Patet vero ex dictis, vni eidemque homini, at diuerso significato, robur tribui posse.

§. III.

Debilitatis absolutae causae.

Debilitas absoluta verum, quoad vires corporis humani, decrementum ponit (§. anteced.). Causae itaque illius latebunt in omni eo, quod, non resistendo, sed gradum virium corporis agentium vere imminuendo, robur frangit. Nunc vero corporis vires solidis, si fas est ita dicere, insunt, licet fluidae etiam partes multum, vt congrue istae vires agant, simul conferant, suntque vis cohaesionis, irritabilitas et sensilitas. Quare absoluta debilitas ex istis causis promanabit, quae vim cohaesionis, irritabilitatem et sensilitatem minuunt. Vis cohaerentiae imminuitur, 1) ab *aquosis*, *oleosis*, *mucidis*, et *his similibus*, diu parti cuidam solidae admotis, quando imprimitis calida sunt. Aqua enim solidis adhaeret, indeque sit, vt diu partibus admota interstitia solidarum partium ingrediatu-

piofius;

piofius; calida vero praecipue, cum eius particulae magis sint attenuatae, et calor ipsa interstitia ampliora reddat. Quoniam nunc glutinis densitas vim cohaerentiae in solidis producit, aqua autem, cohaesionem glutinis cohaesione minorem habet: fieri aliter non potest, quin diu solidis admota aqua, prae ceteris vero calida, vim cohaesionis minuatur. Atque idem, simili plane ratione, de oleosis, mucidis, similibusque his, diu applicatis ad solida, dici atque euinci potest. Vnde intelligitur: quare obesi, cachectici, hydropici, phlegmatici, debilitate laborent? 2) *Humorum nimia tenuitas.* Opus enim tunc est, ut gluten quoque, quod solidorum elementa iungit, minore gaudeat cohaesionis gradu. 3) *Aere applicatum solvens et rodens.* Id enim soluit fluida glutinique solidorum intermedio tenuitatem nimiam infert. 4) *Extensio solidorum nimia aut diuturna,* quouis demum modo facta. Extensio enim partis solidae nimia non potest contingere, quin elementa etiam solidorum, quae extenduntur, nimium a se inuicem recedant. Quod vero si contingat: minuitur particularum attractio, semper tanto maior, quanto propiores sibi sunt, indeque minor cohaesio euadit in solidis, ex istis partibus compositis. Quo simul diuturnior ista existit extensio: eo facilius erit praedictus effectus. Quodsi enim minus diuturna praesto fit extensio: spes erit, fore, ut spontanea, quam inter se inuicem exferunt elementa solidorum, attractio demum et temporis mora vim cohaesionis in integrum iterum restituat, quod vero tunc sperari non potest, quando nimis diu durat, aut durauit. 5) *Quae elementorum cohaesionem plane tollunt.* Tunc enim vis cohaerentiae in punctis solutis nulla adest. 6) *Quae nervis et fibris muscularibus torporem, aut debilitatem, inferunt.* Videntur enim nervi, continuo fluidi neruei influxu, musculos irritare, ut fibrae illorum palpitent et contrahantur. Spontanea haec contractio, a nervis et irritabilitate muscoli proueniens, auget attractionem partium earumque cohaesionem. Praeterea robusti nervi fortesque fibrae musculares iustam fluidis, hinc et glutini solidorum, conciliant densitatem. Quando itaque praedictarum partium robur decrescit, quod a sensu

litate

litate et irritabilitate proficiscitur: vix aliter fieri potest, quin cohaesionis quoque vis decrementum patiatur. Nonne hinc intelligitur, quare fiat, vt sub syncope cutis relaxetur, et sudor copiosius erumpat? 7) *Defectus fluidorum.* Quo in casu fluidum etiam lymphaticum deficit, languescit nutritio, minuitur cohaesio. 8) *Vfus partium intermissus.* Minus enim tunc contrahuntur, attractio ideo elementorum decrescit et cohaesio.

§. IV.

Continuatio.

Sensibilitatis decrementum cum robore neruorum generatim confundi non debet. Nimia enim sensibilitas speciem nonnunquam debilitatis constituit, cum, ea praesente, actiones saepe corporis minori cum constantia et diurnitate perficiantur, quam fas est. In determinandis itaque debilitatis, quae neruos afficit (§. anteced.), causis, tam eae attendi debent, quae sensibilitatis gradum minuunt, quam illae, quibus nimia sensibilitas, diurnitatem actionum recusans, debetur. Spectant huc 1) *causae, quae vim cohaerentiae in neruis minuunt* (§. anteced.). Constat enim ex Physiologia, solidam neruorum substantiam, tremulo, in quem abripitur, motu, quidquam, vt agant nerui, conferre. Nunc vero tremulus motus in eo consistit, vt elementa corporis cuiusdam mox a se inuicem recedant, mox ad se inuicem accedant. Quodsi itaque vis cohaerentiae in eiusmodi corpore decrescat: duplex mutatio oriri potest. *Vel* enim non satis ad se inuicem accedunt corporis tremantis particulae, *vel*, concurrente tenuitate, illud in faciles quidem, sed non constantes tremores abripitur. Quoad neruos idcirco vel nimis parua, vel nimis magna, absque tamen constantia praesens, orietur sensibilitas. 2) *Causae omnes, quae neruos rigidos reddunt.* Sub rigiditate enim elementa neruorum nimium quantum ad se inuicem accedunt, quare quae ad eorum motum tremulum non minus requiritur elementorum remotio, vel non satis magna, vel plane impossibilis est. 3) *Quae*

B

copiam

copiam fluidi neruei imminuunt, quacunq; demum ratione id perficiant. Videntur enim nerui, si fluidum nerueum remoueas, sensilitatem producere non posse. 4) *Quae destruunt actionem fluidi istius*, qualia sunt opiata, narcotica, v. g. carbonum vapores. 5) *Defectus in sanguinis motu*, v. g. syncope. Videntur scilicet vasa sanguifera, quae per cellularem neruorum repunt, quidquam conferre, vt nerui a stimulis afficiantur. Quando enim satis a sanguine, quem continent, distenduntur: fibrae ipsae nerueae possunt quodammodo tendi; sub tensione autem neruus eo facilius irritatur. Quamobrem si deficiat sanguinis circulus, cum vasa ista sanguifera non satis extendantur, sensatio decrescere poterit, immo debet. 6) *Tenuitas nimia humorum*. Haec enim fluidum nerueum nimis tenuae quoque reddere videtur, hincque nimiam quidem sensilitatem, minus tamen constanter agentem, producit. 7) *Animae languor*. Anima quoque mouet neruos. Nonne itaque neruorum motus decrescere debent, quando anima languidam exserit actionem?

§. V.

Idem porro.

Quod demum eam absolutae debilitatis speciem attinet, quae irritabilitatem respicit (§. 3.): de eius causis id valet, quod de debilitatis, in neruis subnatae, causis §. anteced. monui. Illius itaque causae sunt, 1) quae *vim cohaerentiae minuunt* (§. III.). Irritabilitas enim musculo ideo quoque inest, quod fibrae musculares determinata gaudent cohaesione. Quae itaque si decrescat: fere vt de sensilitate docui, *vel languentem, vel magnam quidem*, sed non iusta constantia agentem, irritabilitatem inducit. 2) *Rigiditas nimia fibrarum muscularium*. Quodsi ea obtinet, iusta illa cohaesio in fibris muscularibus non adest, quae ad irritabilitatem requiritur. 3) *Structura muscoli alienata*. Modus enim compositionis, qui in fibris muscularibus praesto est, causa erit irritabilitatis, quaecunq; demum alias assumatur. Eius itaque alienatio minuet, aut plane

ne

ne etiam destruet irritabilitatem. Hinc paralyſis obſeruata in muſculo, in pinguedinem quaſi mutato. 4) *Cauſſae, quae vim neruorum minuunt* (§. anteced.). Quamuis enim nerui, cum ipſimet irritabilitate ſint deſtituti, rationem et cauſſam ſufficientem irritabilitatis in ſe minime continent: quidquam tamen ad eam conferunt, quod ex obſeruationibus facile patet.

§. VI.

Debilitatis reſpectiuae cauſſae.

Debilis reſpectiuus (§. II.) non ex vero virium decremento naſcitur, ſed ab augmento nimio reſiſtentiarum, quod a ſtatu ſanitatſ abeſſe debet, proficiſcitur. Eiuſmodi autem reſiſtentiae erunt, 1. *plethora vera*. Quoniam enim vires corporis humani non ſunt infinitae, plethora autem vera ſanguinis nimiam in corpore accumulationem ſibi vindicat: ſequitur, ſub plethora vera facile fieri, vt vires corporis tantam ſanguinis, quantum ferre nequeunt, experiantur reſiſtentiam. Quare etiam obſeruaciones docent, adeo nonnumquam plethoraſ veram vires corporis frangere, vt ne miasma quidem, corpori illatum, febrem producere poterit, niſi, adminiſtrata Venaeſectione, antea imminuta fuerit. 2. *Spiffitudo ſanguinis*. Sub ſpiffitudine ſanguinis particulae fortius, quam ſas eſt, cohaerent, inertia itaque ſanguinis increſcit eiſque erga cor et vaſa et vires reſiſtentia. 3. *Congeſtio fluidorum erga partem*, quae, vt plethora, debilitatem reſpectiuam infert. Inde lethalis illa ab infarctis pulmonibus ſyncope naſcitur. 4. *Spasmus muſcutorum*, in extremitatibus ponderis et debilitatis ſenſum inferre ſolet. Sub eo enim cum contractio muſcutorum inuoluntaria increſcat, eorum etiam reſiſtentia validior euadit. Libere itaque moueri nequeunt, vnde debilitatis ſenſus enaſcitur. 5. *Magna ciborum et potulentorum ingurgitatio*. Quaelibet enim aſſumptorum pars reſiſtit, maior itaque ingurgitata, quam ſas eſt, plus etiam reſiſtet, quam ſanitas fert. Atque haec debilitatis reſpectiuae cauſſa tanto eſt validior, quo ma-

ior obseruatur ventriculi cum aliis partibus consensus. 6. *Turgor materiae alienae in ventriculo.* Hinc in febribus non raro fere vni-
ce debilitas nascitur. Ceterum facile pater, causas debilitatis re-
spectiuae ita esse comparatas, vt possint etiam absolutam producere,
vt ideo vtraque debilitatis species non infrequenter in corpore con-
iuncta existat, tantoque maior debilitatis gradus aegrum adfigere
obseruetur.

§. VII.

Remedia roborantia generatim.

Cum virium corporis humani actio sanitatis tam conseruandae,
quam restituendae fundamentum sit; cum optima auxilia medica nil
valeant, nisi illarum potentiarum, quae corpori insunt, efficacia
adiuuentur; cum demum plerosque corporis nostri morbos debilitas
comiterur: pater, ea remedia, quae tollendae debilitati inferuiunt,
et saluberrima esse debere, et frequentissimi in medicina vsus. Vo-
cantur illa generatim *roborantia*, quae ergo sunt remedia, quibus
deficientes vires restituuntur. Cum autem virium defectus, seu de-
bilitas corporis, vel absoluta sit, vel respectiua (§. II.): duplex quo-
que remediorum roborantium classis stabiliri potest, prouti nempe
vel absolutae, vel respectiuae debilitati medentur. Mars laxitatem
tollit, tamquam absolutae debilitatis speciem, diciturque simul ro-
borante virtute pollere; at Venaesectio etiam ex plethora debiles ro-
borare affirmatur, licet tunc respectiuae tantum debilitati tollendae
par sit. *Strictiori* vero significato roborantia vocantur ea, quae ab-
solutae debilitati destinantur, vt ideo Venaesectio, resolutentia et
alia remedia, v. g. emetica, *proprie* non dicantur roborantia, licet
respectiuam debilitatem tollere possint. Nunc absoluta debilitas ad
duplicem speciem, quod superiora facile docebunt, reduci potest.
Vna ex inopia sanguinis et fluidorum enascitur, qua scilicet fit, vt
cor et aliae partes non satis irriterentur; *altera* ex immediato virium
decremento oritur. Quare roborantia proprie ita dicta, erunt
tam ea, quae copiam sanguinis restituunt, quam illa, quae viribus
solido-

solidorum immediate robur addunt. Priora dicuntur *nutrientia*, posteriora vel cohaesionis vim, vel irritabilitatem, vel sensilitatem respiciunt. Si vim cohaesionis: *roborantia* strictissimo significato nominantur, quae, quando valentius vim cohaesionis augment, *adstringentia* seu *styptica* vocantur. Quodsi vero roborans irritabilitatem aut sensilitatem firmet: vel ad eam harum virium debilitatem spectat, quae in magna quidem, verum non diu ferenda, sensilitatis aut irritabilitatis actione consistit (quo in casu ad roborantia modo definita reducitur, cum vera huius debilitatis medela vsu eorum, quae teneritudinem solidorum tollunt, absoluantur); vel eam illarum virium debilitatem respicit, quae cum minori earum actione coniuncta est, tuncque *irritans remedium* generatim vocari posset. Quando irritans neruos afficit, quod semper sub eius actione contingere debet, tunc exinde vel valde ingrata sensatio oritur, vel grata magis, quam ingrata. Si prius, tunc *stimulans*, *irritans* remedium per eminentiam dicitur; si vero posterius obtineat, *analepticum*, *reficiens* dicitur. Remedia irritantia, vtpote valentius neruos, musculos et vasa afficientia, si cuti applicantur, vel ipsam solunt, vt signa soluti in ea continui oriantur, vel rubedinem tantum eius, cum signis plus minusue magnae inflammationis, producant, vel determinant nec solutionem continui, nec signa inflammationis, v. g. lenior frictio. Haec nullum generale nomen adepta sunt; illa *rube-facientia*; ista vero *catbaeretica*, *escharotica*, *caustica*, *vesicatoria*, etc. nuncupantur.

§. VIII.

Nutricium vsus et abusus.

Nemo non ex definitionibus classibusque roborantium stabilitis perspicit, naturas eorum et effectus, quos in corpore humano exerunt, satis debere diuersos esse, atque fieri aliter non posse, quin, si indiscriminatim iis vtamur, magnum inde corpori accidat detrimentum. Interea visum mihi nonnumquam est, ac si Medici passim

roborantia non satis a se inuicem distinguant, atque id, quod vno respectu roborans dici potest, fere omni respectu roborans nominent. De differentiis itaque roborantium, in Praxi bene attendendis, dicere constitui. Missis vero iis, quae debilitatem respectiuam spectant, ea tractabo, quae proprie roborantia dicuntur, quorum idcirco usum et abusum quanta fieri poterit breuitate exponam. Agmen ducant *nutrientia* (§. anteced.). Cum, quando nutrientibus opus est, vera simul in corpore, quoad eius solida, debilitas adfit; atque assumpta non nisi tunc nutriant, quando in naturam, vt dicunt, corporis humani commutata sunt: patet, nutrientia ea tantum dici hic posse, quae *facile* in naturam humanam abeunt, viribusque solidorum parum resistunt. Quorsum ergo iura carniurn, carnes ipsae teneriores, lac eiusque praeparata, cerealia varia, succolada, pisces teneriores, oua, cereuisia saturata Brunsvicensis, perspiratio sani hominis, et similia referri possunt, quae vero, si ingesta fuerint, hominem nutriendum in copia, viribus suis proportionata easque non superante, assumere oportet. Obtinent autem haec nutrientia generatim atque in usum vocari possunt, 1) quando *ob largas et profusas excretiones, vel sanguinis, vel lymphae, humorum defectus inductus est*. Ne enim aeger ex humorum inopia pereat: corporis nutritio humorumque perditorum restitutio quantocytus impetrari debet. 2) Quando *ob viscerum labem sanguificatio et chylicificatio male perficiuntur*, prouti in febre lenta et hectica. Verus enim tunc praesto est bonorum humorum defectus, isque prouenit a languente praecipue eorum viscerum actione, quae commutandis assumtis in naturam humanam inseruiunt. Ne ergo debiles nimium onerentur partes, earumque potius functio quouis sustentetur modo: ea corpora assumi debent, quae magnam lymphae humanae, licet leuiori tantum actione subactae, suppeditant copiam, qualia sunt, quae diximus, nutrientia. 3) Quando *ob chronicum vitium cibi in ventriculo retineri non possunt, aut chylosae massae ad sanguinem transitus impeditus est*. Priori enim in casu, v. g. quando scirrhus in ventriculo adest, ea saepe retinentur, quae minima in quantitate ven-

ven-

ventriculo inferuntur; nutrientia itaque, vtpote quae defectui non solum humorum, qui tunc vrget, occurrunt, sed minori quoque in quantitate protrahendae vitae paria sunt, recte ideo commendantur. Posteriori vero in casu raro *omnis* chyli transitus impeditus est; nonnullae itaque particulae feruntur ad massam sanguineam: idcirco respiciendum, vt eiusmodi particulae vasis inferantur lacteis, quae, licet non adeo magna in quantitate transeant, satis tamen conuenienter nutriant. Praeterea in praedicto casu primae viae magnopere solent esse debiles: eo ergo magis nutrientia, quae diximus, eligi debent. Quid? quod ab eorum vsu sperari potest, fore, vt nonnullae particulae, quando iam coctae et praeparatae sunt, per absorbentia ventriculi vasa actutum ad sanguinem deducantur. Valent quoque hic, eandem fere ob causam, clysteres nutrientes.

4) Quando *acrimonia humorum adest*, qua non solum lymphae et humores corrumpuntur, vt bonae lymphae defectus inducatur, sed solida quoque debilitantur. 5) Quando *diuturna inedia praegressa est*. Non restituti enim humores euacuati in humorum defectum abeunt. Aque haec de vsu nutrientium generali. Quodsi vero praedicta perpendantur, patet, I. *nutrientia non omni absolutae debilitati conuenire*. Non enim nisi tunc indicantur, quando humorum, saltim bonorum seu bene elaboratorum, defectus adest. Absoluta autem corporis debilitas non soli fluidorum bene praeparatorum defectui debetur. Quid? quod fieri potest, vt socia et adiuncta sit copiae humorum. Quo in casu nutrientia nocebunt.

II) *In vsu nutrientium respici debere ad reliquas corporis conditiones, proque earum differentia modo haec, modo illa eligere Medicum oportere*. Si acidum v. g. adsit, lactis vsus interdici debet; si putridum obtinuerit, victus animalis euitetur; in rancido vero oleosa. Atque ita in aliis quoque casibus agendum.

§. IX.

Roborantia stricte ita dicta.

Pertractatis nutrientibus definitoque eorum tam vsu, quam abusu: roborantia stricte ita dicta, id est quae vim cohaesionis augent

gent (§. VIII.), considerabimus. Possunt hic sequentes classes constitui: I. *Remedia, quae particulis grauioribus scatent, sunt eatenus roborantia.* Notum enim est ex Physiologia, cohaesionem solidorum pendere a particularum, solidas partes constituentium, nisu erga se inuicem. Vnde consequitur, cohaesionem tanto debere maiorem enasci, quanto maior est nisus, in quem feruntur solidorum elementa. Nunc corpora grauiora vim attractionis maiori in gradu exferunt. Quare, si elementis solidorum grauiores particulae interponantur, vis, qua elementa eorum propius ad se inuicem accedunt, validior, cohaesio itaque maior euadat, necesse erit. Intelligitur hinc, quam ob causam martialia vim cohaesionis augeant, deperditumque ex laxitate robur restituere valeant. Non sine ratione vero dixi, haec remedia *eatenus* esse roborantia, quatenus e particulis grauioribus composita sunt, ne affirmare quis queat, mercurialia roborantium catalogo inferi debere, cum particulas sat graues contineant. Mercurialia certe, aequae ac martialia, roborantia essent, nisi principium quoddam plane singulare in sinu fouerent, quod liquida corporis humani potentissime resoluit, quodque ideo solida soluit potius, quam firmat. II. *Remedia, quae neruos et fibras musculares lenius irritant, sunt roborantia striete ita dicta.* Eiusmodi enim remedia motus neruorum et fibrarum muscularium viuiores reddunt. Prouti nunc languor neruorum et fibrarum muscularium noua semper debilitatis causa existit: sic motus earum partium intensiores non poterunt non vim cohaesionis, neruis et fibris muscularibus tribuendam, adaugere. Cumque neruis et musculis totum fere regatur corpus: non neruis tantum et musculis, sed reliquis etiam partibus corporis humani maius, vsu remediorum, quae sensilitatem et irritabilitatem excitant, conciliatur robur. Dixi *lenius irritantia*, cum fortiora vim cohaesionis potius minuant, quam adaugeant. Hinc plantae amarae roborantem suam virtutem adipisci videntur. III. *Remedia, quae gluten condensant, roborantia sunt.* Terreae enim solidorum particulae, intermedio glutine iunctae, foliummodo cohaerent, adeoque a glutinis cohaesione solidorum cohaesio pender.

pendet. Quae ergo remedia glutinis cohaesionem augent, laxis quoque solidis robur addunt. Huc spectant spirituosa, variaque alia, quae sub adstringentium nomine nota sunt. Quid? quod potest hoc respectu affirmari, terreas particulas roborante virtute polere; admixtae enim glutini, nimis laxae cohaerenti, vim in eo cohaesionis fortiolem reddunt. IV. *Remedia, quae vi quasi externa elementa solidorum propius ad se inuicem pellunt, roborantia dici merentur.* Referri hoc possunt ligaturae et frictions partium. Fieri enim aliter vix potest, quin, illis institutis, solidorum elementa propius quasi ad se inuicem pellantur; quo facto duplex nascitur intensioris roboris causa: *primo* namque aquae glutinis pars, vi illa externa admixta, facilius exprimitur, gradusque cohaesionis in glutine, amissa aqua, increfcit; *dein* vero nifus elementorum erga se inuicem intenditur, cum propius ad se inuicem accedant, quam ob causam, vt supra iam monui, cohaesio firmior euadit.

§. X.

Vfus et differentiae horum roborantium.

Roborantia praedicta adhibentur in istis debilitatis absolutae speciebus, quae laxitas, teneritudo, continui solutio, nimia sensilitas et nimium aucta irritabilitas dicuntur. *Laxitas* enim imminutam cohaesionem, cum languida simul sensilitate et torpente irritabilitate coniunctam, ponit; *teneritudo* contra ea vocatur cohaesio imminuta, quam nimia sensilitas nimiaque irritabilitas comitantur; *continui* demum *solutio* adesse affirmatur, quando solidi cohaesio in his illius punctis plane desit. Cum ergo in praedictis debilitatis speciebus cohaesionis decrementum semper adsit: sequitur, roborantia, quae descripta sunt §. antecedente, ad eos morbos tollendos adhiberi posse. Quod nimiam aut *sensilitatem*, aut *irritabilitatem* attinet: eam teneritudo fibrarum semper comitatur; adeoque illi pariter ac huic praedicta roborantia destinari possunt. Magna interim circa haec roborantia obseruatur differentia, vt nefas est, vel vnum eundem-

que agendi modum assumere, vel ea, in curandis allatis absolutae debilitatis speciebus, confundere. Differunt scilicet 1. quoad differentem cohaesionis gradum, quem in fluidis efficiunt, cum alia magis resoluant fluida, alia eadem condensent. Potest equidem vnum idemque remedium roborans, fluida, pro rerum, quae circumstant, diuersitate, modo resoluere, modo condensare. Sic cortex Peruvianus fluida, in laxitate solidorum, quae cum visciditate coniuncta esse deprehenditur, resoluit, in teneritudine autem fluida nimis resoluta condensat. Neque id mirandum. Cum enim fluidorum tam visciditas, quam attenuatio, a debilitate proueniat: remedium roborans, dum debilitatem tollit, necessario etiam ista fluidorum sibi opposita vitia tollere debet. At enim vero sua nonnumquam natura remedia ista roborantia fluida modo inuiscant, modo etiam attenuant. Sic remedia, quae num. I. et III. (§. anteced.) adduximus, fluida sua natura inuiscant et condensant, quae vero l. c. num. II. sistit, fluida magis resoluunt. 2. Quoad motum humorum, quem nonnulla sua natura augent, vt irritantia; alia magis imminuunt, vt adstringentia (§. antec.). 3. Quoad gradum actionis, cum alia fortius, alia mitius agant. 4. Quoad partes, in quas virtute sua roborante prae ceteris agunt. Sic cortex Peruvianus in neruos potissimum, martialia in alia magis solida agere videntur. 5. Quoad temporis spatium, quod requiritur, vt roborantium actio salutaris obseruetur. Cortex hoc respectu fere omnibus reliquis palmam praeripit. 6. Quoad corporis circumstantias, quas salutaris istorum roborantium actio postulat. Ita martialia male in viscerum vlcerebus vsurpantur: Cortex contra ea conducit. Qui haec sollicitè perpendit; is facile intelliget: a) roborantia praedicta non omni absolutae debilitati mederi posse; v. g. non medentur illi immediate, quae a fluidorum defectu prouenit; b) iis roborantibus non promiscue vtendum esse, licet generatim indicentur, quod ex diuerso eorum modo agendi, si conferatur cum natura morborum, sub initio huius §. enumeratorum, sine omni opera quilibet perspiciet.

§. XI.

De acidis et terreis remediis, vt roborantibus.

Sunt Medici, qui affirmant, acida, tam vegetabilia, quam mineralia diluta, non solum roborante virtute gaudere, sed hanc etiam ideo illis tribui debere, quod vim cohaesionis augeant. Quaestio itaque hic moueri potest: num acida vim cohaesionis proprie augeant? Nullus dubito, negando ad hanc quaestionem respondere. Quaeuis enim acida, vegetabilia et mineralia diluta, fluida corporis humani resoluunt; quod vero fluida, hinc et gluten resoluit, tantum abest, vt roboret, vt potius debilitet. Quare acida vim cohaesionis non tantum non augent, sed etiam imminuunt. Quodsi etiam cogitaueris, acida fortiora vel ipsam continui solutionem inferre posse; acidam fluidorum acrimoniam cum laxitate potius, quam rigiditate, ossiumque, durissimarum corporis humani partium, emolitione stipari, quod rhachitis et scorbutus acidus dictus, probant; abusum demum acidorum ventriculorum et intestina debilitare, namque aliunde illarum partium debilitatem augere: patebit eo magis, non posse acida, propria sua vi, cohaesionem solidorum firmiorem producere. Caue existimes, obseruatas in obesitate ab acidorum fortiorum abusu ventriculi indurationes contrarium suadere. Hae enim vel accidentalem ob causam hinc enatae sunt, vel ideo suboratae, quod obseruationes docent, fortiora acida, pingui adfusa, hoc posse condensare. Acida itaque omnia roborantium strictè ita dictorum catalogum ingredi non debent. Quod iam terreas particulas, quas nonnulli tam magni faciunt, quando de roborantibus proprie sic dictis loquuntur, alii contra ea plane reiciunt, attinet: eas roborare nullus dubito. At enim vero in se spectatae vix attentionem merentur, cum vasa lactea non facile ingrediantur, nisi magna cum potulenti aquei quantitate exhibeantur, facileque etiam primas vias viscido repleant, multum debilitante, quando cum fluidis salialibus largius misceantur. Neque etiam aliis partibus corporum constituentibus adiunctae, v. g. resinosis, multum valent, cum resina resoluat

uat fluida, quo ipso iterum fit, ut roborans pereat terrearum particularum virtus.

§. XII.

Analeptica.

Analeptica remedia ea ratione nervos afficiunt et irritant, ut grata simul sensatio oriatur, quod supra iam monui. Huc itaque pertinent: I. *Particulae salinae lenius irritantes.* Solent enim eiusmodi particulae gratam producere sensationem, prouti id acida mineralia dulcificata, in quibus forte acidum blando spiritus vini oleoso principio obvolutum mite redditum est, manifesto demonstrant. II. *Particulae nonnullae oleosae volatiles.* Eiusmodi enim particulae oleosae spiritum, quem rectorem dicunt, in se continent, atque, ne aufugiat, cauent. Is, oleo simul mitior redditus, grate non raro nervos afficit. III. *Spirituosa mitiora.* Spirituosum enim concentratum nimium irritat, mitius vero blande nervos stimulat. 4. *Aër frigidiusculus et purus, potusque aquae aut alius fluidi similis frigidi.* Ut enim aër calidus et impurus vires prosternit: sic purus et frigidiusculus verum constituit remedium analepticum. Sitis quoque, cui non satis fit, insigniter debilitat, tuncque potulentum frigidum fauces grate afficit. Praestat itaque his remediis uti, quando 1. in nervis absoluta debilitas oritur, cum irritatione sua motus nervorum iterum restituant; 2. paralytica debilitas obtinet, non ideo tantum, quod sensationes, saepe sub illa amissas, reuocent, sed eam quoque ob causam, quod varia e praedictis analepticis stases fluidorum, spasmosque minuunt, a quibus paralytica debilitas non raro originem suam sumit. 3. In laxitate solidorum, cum analeptica, facta fibrarum muscularium irritatione, laxis solidis robur suum naturale passim restituant. 4. Quando a debilitate spasmi oriuntur. Varia enim ex analepticorum remediorum catalogo desumpta simul sunt antispastica. Patet interea, caute plurimis nos uti debere, cum plurima, licet non omnia, sanguinis efficiant orgasmum, nonnulla quoque non facile ferantur. Intelligitur quoque, non sufficere eorum auxilium, ut eo omnis absoluta debilitas abigi queat, cum partim debilitas de-

tur

tur absoluta nimis magna, quam vt analepticorum vsui cedere possit, partim etiam analepticorum salutaris actio satis saepe cito iterum euanescat, quo fit, vt inconstans tantum efficiant robur, partim demum analeptica non omnes debilitatis absolutae causas remotas, v. g. humorum defectum, tollant, hincque etiam debilitas ipsa in integrum nequeat debellari.

§. XIII.

Stimulantia seu irritantia.

Stimulantium seu irritantium agendi modus in corpus humanum ex iis iam patere potest, quae supra, ea remedia definientes, adduximus. Ignis, scintilla electrica, corpora sale acri et caustico, aut oleoso simili scatentia, frictiones fortiores, et alia huc referri possunt. Omnia vero nervos fibrasque musculares insigni in gradu irritant, cumque motus humorum a fibris istis dirigatur, hunc simul intendunt. Adhiberi itaque debent, vbi absoluta debilitas in nervis et fibris muscularibus magna praesto est, atque motus humorum nimis tardus, nimisque debilis existit. Cauendum contra ea ab eorum vsu, quando debilitas vel non magna adest, vel cum humorum motu intensiori atque inflammatoria sanguinis condensatione stipata incedit. Respicienda quoque differens horum remediorum natura, semperque cogitandum, particulas acres, cuti sub vsu illorum applicatas, resumi et ad massam sanguineam reduci, hanc attenuantes atque specifico suo acri replentes, quod, quando vesicatoria et clysteres acriores adhibentur, praecipue attendi debet.

§. XIV.

Epilogus.

Atque sic praecipua roborantia, quoad generalem eorum vsum et abusum, strictim exposui. Optime scio, plura, nec contemnenda, huius materiae momenta superesse. Temporis tamen breuitas, quo minus elaboratius haec sistam, impedit. Sit itaque hic huius scriptiunculae

FINIS.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
D O M I N O
D O C T O R A N D O

S. P. D.

PHILIPP. CASPAR IVNGHANS,

DISSENTIENS.

Vt quisque bonus tum, quum vitae suae conditionem cum alia commutandam putat, minime sibi ipsi deest, quin quaeque fausta sibi animo apprecetur; ita amici, quibus non labiis id nominis incumbit, tum demum suum esse existimant, tabulas pro illo suspendere. Quid mirum, si hodie id, licet minus sancta manu fortasse, pro TE quoque faciam. Semper simplicem sincerum erga amicum animum habere, id semper maximum putavi. Acquiesco itaque in eo, quod sciam mea vota pro TE hodie suscepta non consuetudinis causa effundi.

Vale ac me ama. Dab. Halae d. 23. Octobr.

MDCCLXVIII.



Dem Astronomen gleich, der jene Welten durchwandert
Vom günstigen Lichtstrahl geführt, sein wartendes Auge vergnügt;
Dem dieser edle Sinn, fast bis zur Gottheit empor hebt,
Durch welchen er Körper entdeckt; vor die unsre Einsicht verschwindet.
Der dennoch unermüdet, mit munter gesammelten Kräften
Sich täglich um grössere Wahrheit bemühet.

Trat einstens seinen Weg, Hygäens Sohn, nach Epidaurus an,
Durch Musengötter belehrt, von Ihnen zum Tempel geführt;
Dem Preise würdig geschätzt, den Aeskulap Siegern nur austheilt,
Da heut Minervens Hand, mit Zweigen der Ehre Ihn krönt.
Und Ihn dadurch reizt, nur Wiß und Stärke zu paaren,
Indem Sie die Emsigkeit reichlich belohnt.

Du bist es, werther Freund, Dein Fleiß wird heute belohnt,
Die Freundschaft begehrt es von mir, die meine Seele erfüllt
Zu nehmen Theil an dem, was Deinen Ruhm nur vergrößert.
Ein Lobspruch von mir ist zu klein, zu schildern Dein Verdienst;
Statt dessen wünsch ich Dir, mit innigst entzückender Regung
Den Kranken zum Trost: Heil, Segen und Glück.

Hierdurch wolte zur erlangten Doctorwürde
seinen ergebensten Glückwunsch abstaten, und
sich zu fernerer Hochachtung und Freundschaft
bestens empfehlen

Dessen

ergebenster Freund und Diener,

Joh. George Friedrich Büchner,
aus Seebach im Thüring. Opponent.

PRAENOBILISSIMO AC HONORATISSIMO
C A N D I D A T O

S. D. P.

ERNESTVS LVDOVICVS HEIM,

M. G. OPPON.

Maximam capio voluptatem, quod mihi cum TVIS reliquis amicis TIBI gratulari permiseris. Quem autem in finem permisisti? Minime eam ob causam, quia nonnulli sub gratulationum cumulo ignorantiam suam tegere cupiunt; dies noctesque enim lucubrafti et omnem, quantum in TE erat, adhibuisti operam in addiscenda arte salutari. Hinc omni iure accipias, pro indefessa TVA diligentia, honores doctorales mox TIBI conferendos. Vias felix, faustus ac incolumis, et pergas, quo coepisti, amore me amplecti. Vale, semperque mihi faue. Halae d. 23. Octobr.

MDCCLXVIII.



Dem Fleiße, dem des Königs Stadt
Und unser Halle zeugt,
Der jeden Felsen, der ihm trost,
Herkulisch übersteigt;

Lohnt dem die Krone, lohnt sie ihm
Die Lorbeerkrone zu früh?
Fünf lange Jahre prüften ihn,
Im Sechsten sah er sie.

Als ihn Minerve laufen hieß,
So hemmte nichts den Lauf.
Noch Jüngling, wo er Wunden fand
Da goß er Del darauf.

Der Oestreicher, den er einst
Halb todt geschlagen fand,
Breißt seine Hand noch Himmels hoch,
Die ihm das Hirn verband.

Und gab der auch dem Kriegesgott
Sein Leben wieder Preis;
So leben mehr Gerettete
Von meines OPPEN Fleiß.

Gerettete! die ihn die Noth,
Die Pflicht zu retten hieß,
Rühmt selbst das Glück, das ihn die Kunst
Unschädlich prüfen ließ.

Dem was ihr sagt, das weiß die Junge
Der größten Lehrer schon.
Sie sahn es ein, und gaben ihm
Den Doctorhut zum Lohn.

Nun geh und rette Kind und Greis
Und Bräutigam und Braut;
Und sorge Freund, nicht für Dein Glück,
Das Dir die Vorsicht baut.

Hiermit empfiehlt sich

J. P. S. Prescher,
d. G. G. B.

D

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
DOMINO
DOCTORANDO
AMICO AESTVMATISSIMO
FRIDERICVS GERARDVS HASENBALG

MED. CVLT.

S. P.

Quam amore mutuo iam pridem aeternae amicitiae fidem sanximus, eam, cum in eo sit, vt publicum doctrinae specimen edas, publice vt et declarem, mearum partium arbitror. Sit quaecunque hoc amicitiae meae monumentum, persuasum mihi tamen est, et TIBI non iniucundum fore, et mihi tantum adferre honoris, quantum quisque a doctrinae TVAE gloria sperare potest. Nihil quidem vel ad rem TVAM proferendam, vel ad amplificandam amplitudinem adferre possum; quid vero virtuti deest, digniorem in se mercedem habenti, quam vllus dare poterit? Denique quando paginae spatium prolixior me esse vetat, communibus amicorum TVORVM votis singulare hoc addam, vt me amare non desinas, priusquam vltimae katastrophis rigiditati amor noster calidissimus succumbat. Vale. Dabam Halae d. 25. Octobr. MDCCLVIII.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
DOCTORANDO

AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

IOANNES CHRISTIANVS IANVS

GLÜCKSTADIO-HOLSATVS

MED. CVLT.

Quod omni iure a me exspectas, gratulandi officium, eo libentius
TIBI persoluo, AMICE SVAVISSIME, quo grauiores causas esse
scio, cur omnes, qui amicitia TUA fruuntur, de fortunato litterarum
TVARVM studiorumque progressu laentur, et ex illo quaeuis prospera
TIBI augurentur. Quantam enim diligentiam in tractandis litteris artis-
que medicae studiis collocaueris, et quantam huius doctrinae notitiam TIBI
acquifueris, non solum Praeceptoribus amicisque TVIS patet, verum et-
iam inter omnes, qui TE cognitum modo habent, luculentissimis constat
signis. Longe ergo a me, tam singulari amicitia benevolentiaque a TE
profecuto, absit, exoptatam hanc occasionem praetermittere, nec solen-
nem

nem hunc diem, quo laborum TVORVM praemium accipis, gaudiis celebrare meis, animumque meum erga TE gratissimum TIBI publice monstrare. Gratulor potius TIBI, TVIS patriaeque TVAE, quod expectationibus a te conceptis satisfacias; sed gratulor quoque mihi amicū optimū integerrimūque. Abi igitur, quo TE TVORVM vota trahunt! Viue diu feliciter et consule aegrotis, qui auxilium TVVM sunt imploraturi! Me vero eodem, quo praefens amplexus es, amore, ut absens amplecti velis, etiam atque etiam TE rogo. Vale. Dabam


in regia Fridericana, die 26. Octobr. MDCCLXVIII.



1678

110X





(4)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
ROBORANTIVM DIFFERENTIIS
IN PRAXI BENE ATTENDENDIS

QVAM
INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PR A I
D. ANDREA EI

SACRI ROMANI
POTENTISSIMI PRVSSIAE
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NA
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. H. T.
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PR
REGIARVM SOCIETATVM SCIENT
ET MONSP

PRO GRAD

SVMMSIQVE IN MEDICIN
DOCTORALIBVS

D. II. NOVEMB.

PVBLIC

AV

IOANNES DIE

MAGDE

HALAE

STANNO

